

1550

venta, respondit: Senensium mutuis cædibus, crebris cum Hispanis contentionibus, ac minis adductum, locum, in quo tuto consisterent, ædificari jussisse. Julius quamvis, & factum improbaret, & jugum liberæ civitati imponi detestaretur, id unum tantummodo Mendozzio adjecit, videret Cæsar, ne, dum arcem in ea urbe extrueret, apud reliquos Italos Principes adeo invidia conflagraret, ut ad nova consilia, quibus suis rebus prospicerent, capienda impellerentur.

Parmæ quoque res in angusto erant. Octavium Farnesium, qui urbi præerat, pecuniæ inopia urgebat; Ferdinandus Gonzaga, ac reliqui Insubrum præfecti importari commeatus prohibebant; ac licet Julius annonam, & argentum suppeditaret, idemque Octavii fratres assidue facerent, ad urbem tuendam imparia subsidia erant; neque diutius tutari posse Parmam rati, ut rebus suis consulerent, Viterbium (sunt qui Vejerbium olim dictum putent) Farnesii convenere, atque ex communi sententia Cardinalis & Horatius Parmam ad Octavium se contulere. Cardinalis per aliquot dies in iis curandis, quibus ad urbem tuendam opus esset, commoratus, Romanum reversus, Pontifici significat, extrema omnia cum fratribus potius perpeti, quam Cæsari Parmam permettere statuisse; trecentos milites in oppidum induxisse; suis rebus Pontificem non defuturum sperare; nihil, nisi ex ejus sententia, & voluntate facturos. Julius, ut se a curis, & solicitudinibus belli imminentis eximeret, ac muneri pontificatus, cui publica pax commissa est, satisfaceret, Cæsarem monet, ut ex Italia gliscentes belli suspiciones amoveat, ne ve tranquillitatem, ac pacem publicam turbare velit; milites ex Parmensi, & Placentina regione subducatur, ea legc, ut unicuique iis, quæ possideat, tuto frui liceat. Cæsar Parmæ inhians, haud quaquam postulatis assensus, per Didacum Mendozium, legatum, Pontifici significat, Parmæ, & Placentiæ urbes septem aureorum millium in singulos annos pensione ab Ecclesia beneficiario jure recepturum, Insubrum mentione præterita, imperii jure, si quod ei in iis civitatibus esset, servato; Octavio, Parmæ loco, in Neapolitano regno tantumdem vicariæ ditionis daturum: idque in primis Pontifici utile fore, quod magnam auri vim, quam eidem Octavio, uti Ecclesiæ vexil-

Farnesii ad
Viterbiu[m]
conveniunt.

Farnesioru[m]
constantia
in Parma
retinenda

Cæsaris flu-
diuum ad
Parmam &
Placentiæ
occupandas.